

quo assignatae sunt II. de communi, illae sunt legendae. Quod faciendum est etiam in dupl. maj. juxta rubr. Brev. rom. S. R. C. 5. Maji 1736 in *Einsidl.*

SS INNOCENTES MM.

1) Commemoratio.

PISTORIEN.

Quum pridie Nonas Jan. Anniversarium occurrat dedicationis Parochialis Eccl. Deo in hon. S. Andreae Ap. Pistorien. in Civitate dicata, Sacerdos Aloysius Petrocchi S. R. C. humillime rogavit, ut declarare dignaretur: num ratione solemnitatis, qua istud dedicationis Festum instituitur, in utrisque Vesp., Laudibus et Missa omitti possit comm. diei oct. S. Innocentium Mart.?

Et S. eadem C. . . respondendum censuit:

„Juxta Rubricas et alia Decreta faciendam esse expressam Commemorationem“.

Atque ita rescribere rata est et declarare. n. 5089 die 27. Febr. 1847.

2) Missa et Color.

Ad relationem Magistri Caerem. Neapol., novos ritus introduci in celebrando festo ss. Innocentium et utendo tali die colore rubeo et canendo *Gloria*, S. C. resp.: „Servari rubricas“. n. 2205 die 17. Mart. 1663.

De colore in festo ss. Innocent. cadente in dominica, vd.: *Instruct. Clem.* §. XII. n. 10. *Utrum pueri ante usum rationis in odium Christi occisi sint canonizandi cultusque sit publicus iis praestandus?* Vd.: *Con-*

stit. Bened. XIV. de die 22. Febr. 1755. (Bull. r. t. XIX. p. 120.)

3) Translatio.

Ad dubium: Quadam parochiali in Ecclesia occurrit Annivers. Dedicationis die festo SS. Innocent. Quo die erit reponendum horum mm. Officium? S. C. resp.: Supplicandum pro commutatione anniversarii. n. 4859 ad 8 die 3. Aug. 1839.

IN PARADISUM etc.

(*In Sepultura*).

Vd.: *Sepultura* (ritus).

INSIGNIA.

a) Canonicorum.

Vd.: *Canonici Cathedr. et Colleg.* (Insignia); *Usus Pontif.* (decr. Bened. XIV. *pro Urbinat.* §. 1.)

b) Cardinalium.

Vd.: *Constitut. Innocent. X. in Bullar. mag. rom. tom. V. p. 410* (ed. Luxemburg. 1727.)

INSTALLATIO NOVI CANONICI.

Delegatus Sedis apostolicae seu Episcopi occasione tradendi possessionem novo Canonico seu Dignitati incedere debet in habitu talari vel Insignibus propriae dignitati convenientibus et non potest post assignatum locum in choro seu in Capitulo intervenire in choro ad gratiarum actionem fieri solitam cum cantu „*Te Deum*“. n. 4274 die 25. Febr. 1758.

COMMENTARIA

AD INSTRUCTIONEM

PP. CLEMENTIS XI.

PRO ORATIONE QUADRAGINTA HORARUM.

OPERIS RATIO.

1. Plurima sane occurrunt in hac nostra collectione *Decreta*, quae circa Venerabilis Sacramenti expositionem versantur. Haec inter nonnulla sunt, quae ad solemnem illam fieri solitam pro Oratione perenni quadraginta horarum proprie pertinent, alia vero, quae ad caeteras magis minusque solemnes, publicas vel privatas extenduntur; omnia tamen in unum conflunt eundemque finem, qui est, ut Sacri serventur Ritus ex Ecclesiae Instituto augustissimae illi actioni convenientes; et, si qui irrepsere alicubi abusus, omnino tollantur. Quoniam vero quae sparsim in iisdem habentur, stricte simul collegit et aliis adjectis in quasdam veluti regulas distribuit *Instructio*, quam *Clementinam* dicimus, praecipue servandas in Urbe, occasione Orationis quadraginta horarum, cum qua solemnis Sanctissimi Sacramenti expositio conjungitur; eandem, si appendicis loco collectioni adderemus, non ingratum fore existimavimus. Hanc enim Sac. Rit. Congregationis responsa mirifice illustrant, veluti ex commentariolis, quae singulis ejusdem Instructionis partibus subjicere operae

pretium duximus, facile patebit. Plurimum certe proderunt cum Instructionum Decreta ad rite servandas caeremonias, quae vel ex lege scripta vel ex constanti Ecclesiae disciplina ad cultum exhibendum Sacrae Eucharistiae quacumque ex causa Fidelium adorationi expositae sunt ordinatae.

2. Ne sit qui existimet, me velle in antecessum dissertationem conficere de primo Orationis quadraginta horarum Auctore, de ratione, qua potissimum is motus fuit, ac de aliis similibus quaestionibus, quae fieri possent, sed nos forte nimis a nostro proposito et fine abstraherent. Vel hujus Instituti Auctor fuerit pius quidam vir, nomine *Bonus Cremonensis*, cui se adjunxisse fertur Ven. S. D. Antonius Maria Zaccaria Fundator Congregationis Clericorum Regularium S. Pauli, ut ex ejus causae actis et ex *Ughellio Ital. Sacr. tom. 4. pag. 27. Littera D.*, vel *P. Joseph a Mediolano ex Ordine Capuccinorum*, ut tenet *Thiersius lib. 4. cap. 17.*, quem sequitur *Benedictus XIV. Instit. Ecclesiastic. 30.* editionis latinae, id parum interest. Certum tamen est,

pium hoc exercitium initia habuisse Mediolani circa *Annum 1534. sub Alphonso II. Duce, ut Ughelius refert loc. cit.*, neque ita multo post ad aliquas Urbis Ecclesias fuisse propagatum. Nam *Pius IV.* in sua Constitutione, quae incipit *Divina disponente Clementia etc.* decimo quinto Calendae Decembris 1560 probavit confirmavitque Sodalitatem *Orationis* seu *Mortis*, quae in singulis mensibus, statis diebus, per horas quadraginta Christum imitata, qui ad quadraginta dies jejunium in deserto protraxit (id Mediolani fiebat ad recolendum tempus, quo Christi Corpus latuit in Sepulcro) orationi vacabat, Dominicum Corpus decenti pompa circumferendo. Unde conijcere possumus, non tamen certo adfirmare, quod Sacra Eucharistia ab initio usque ad finem Orationis exponi etiam consueverit, quemadmodum Mediolani in more jam pridem fuerat. Quamquam multo ante pium hoc Institutum in Urbe obtinuisse dicendum est opera *S. Philippi Neri*, qui prima fundamenta jecit *Confraternitatis SSmae. Trinitatis Peregrinorum*, quod accidit Anno 1548. Ita *Baccius* in ejus vita *lib. 1 cap. 8*: „Ogni prima Domenica del mese, e di piu ogni anno per la Settimana Santa esponeano il SSmo. Sacramento per l'Orazione delle quarant' ore“; hinc jure credimus a Sodalitate *SSmae. Trinitatis*, ad alteram postea, quae dicitur *Mortis*, pium hunc morem, tam Orationis quam simultaneae *SSmi. Sacramenti* expositionis fuisse propagatum.

3. Sed id privatorum erat, qui simul statis temporibus in Sodalitii Ecclesiam conveniebant ad pia Religionis opera exercenda, et quamdam veluti Communitatem efformabant, dum conventus fiebant; nulla tamen lege tenebantur, et poterant pro lubitu adesse vel abesse, et etiam, deficientibus

Sodalibus, Societatem dissolvere. Perennis praeterea non erat Oratio, ut numquam per Anni circulum in una alterave Ecclesia cessaret, quamvis per quadraginta illas horas non intermissa, quibus decurrentibus utraque Sodalitas eidem coram Sacramento, ad invicem succedentibus Fratribus, vacabat. Num ab initio *Mediolani* perpetua fuerit, certo adfirmare non possumus: talis procul dubio erat aevo *S. Caroli Borromaei*, quo Ecclesiam illam regente sci mus per turnum distributas fuisse Ecclesias, in quibus, solemniter exposito Sacro Vase cum Eucharistia super Altari, juxta illius temporis et regionis morem, sine intermissione diu noctuque Oratio fieret, ut colligimus *ex Instrukione*, qua Sanctus Antistes et cohibuit abusus, qui forte irreperant, et certam praescripsit formam, et quasdam dedit regulas ea in Oratione omnino servandas. Hujusmodi *Instrukio* legi potest in *Actis Ecclesiae Mediolanensis tom. 2 pag. 681 et sequent. editionis Patavinae*. Insuper ex vita *Juvenalis Ancina Salutarum Episcopi*, super Sanctissimam Eucharistiam in tali occasione exponi consuetam non leve aliud eruitur argumentum, dum *Doliani* apud *Lagienses* populos instituta ab eo asseritur Oratio quadraginta horarum, ad quam processionaliter diu noctuque occurrit populi multitudo plurima *SSmum. Sacramentum* veneratione. Ita *Cavalerius tom. 4 cap. 10 adnotat. praeliminar.* Nec tamen ex hoc consequitur, *Doliani* Orationem fuisse perpetuam, scilicet ad integrum annum distributis per turnum Ecclesiis protractam, licet ubi erat in more, fieret cum Sacramento post solemnem supplicationem adorationi exposito, ad quod colendum frequens populus confluebat.

4. Forte etiam Romae aliae erant Ecclesiae, quae exemplo excitatae

Sodalitatum Sanctissimae Trinitatis et Mortis, pium hoc Institutum sequutae sunt. Verumtamen, etiamsi non in aliquibus tantum, sed in bene multis laudabile hoc et maxime religiosum cultus pietatisque exercitium obtinisset, de quo tamen certa nobis non occurrunt documenta, nec tantum est otii, ut in iis quaeritandis, si quae sunt, immoremur; deerant nihilominus ea, quae Institutum hoc (quoad Urbem) praecipue distinguunt, videlicet *perennitas Orationis*; quae in una incipit Ecclesia, prius quam in alia absolvetur, ita ut per integrum anni circulum numquam deficiat; et *publica Auctoritas*, quae nedum eandem lege praecipiat, verum etiam ordinem ac methodum praescribat omnino servandam.

5. *Clemens VIII.* ille fuit, qui sub finem Saeculi XVI. utrumque praestitit. Siquidem commotus calamitatibus et angustiis, quae Christianam Rempublicam undique praemebant, noscens „Orationem honorum omnium esse conciliatricem, quae ex corde humili et animo contrito Coelos penetrat, iram Dei mitigat, plagas et flagella avertit et Divinae Misericordiae impetrat abundantiam . . . et quidem tanto facilius . . . quanto major fidelium et piorum multitudo in uno Charitatis spiritu copulata continuatas adhibet preces . . . statuit ad placandum Deum . . . perpetuam sine intermissione Orationem publice in hac alma Urbe sic instituere . . . ut die noctuque quavis hora toto vertente anno sine intermissione Orationis incensum in conspectu Domini dirigatur.“ Ita in ejus Constitut. *Graves et diuturnae*, data 25. Novembr. 1592*) Certum est itaque a *Cle-*

*) *Constitutio Clem. VIII. haec est: Clemens Episcopus. Graves et diuturnae Christianae Reipublicae calamitates, quae*

mente VIII. petenda esse initia Orationis perpetuae in Urbe per singulas

peccatis promerentibus quotidie magis ingravescent, pastorem sollicitudinem nostram, quam universae Ecclesiae debemus, assidue commovent, magno sane cum doloris sensu, praesentium malorum, et impendentium periculorum metu, sed praecipue cor nostrum et paterna viscera nostra transfigit luctuosus status nobilissimi et olim florentissimi Galliae Regni, quod tot jam annos summa rerum perturbatione et omnium malorum acerbitate conflictatur, serpunt in dies latius haeresum incendia, jamque pari furore inflammata sanctae Ecclesiae inimici hinc haeretici, inde Turcae cervicibus nostris proprius imminet, plane, ut manifeste omnibus appareat, ad tam multa incommoda repellenda inanem esse omnem operam hominum, inanes labores et imbecilles vires, nisi coelestis gratiae auxilio roboreremur, quod ut consequi possimus, confugiamus necesse est ad illam desideriorum nostrorum fidelem internuntiam atque interpretem, et bonorum omnium conciliatricem Orationem, quae ex corde humili et animo contrito emissa, coelos penetrat, iram Dei mitigat, plagas et flagella avertit et divinae misericordiae impetrat abundantiam; est enim, ut sancti Patres illam vocant, clavis coeli, et cum ascendit Oratio, descendit Dei miseratio et quidem tanto facilius et uberius descendit, quanto major fidelium ac piorum multitudo in uno charitatis spiritu copulata continuatas adhibet preces.

§. 1. Quare memores verbi Domini, quod est apud sanctum Prophetam: Invoca, inquit, me in die tribulationis, eruam te, et honorificabis me, statuimus ad placandum Deum, ut avertatur ira ejus a populo suo, et ad ejus opem his difficillimis temporibus impetrandam, perpetuam sine intermissione Orationem publice in hac alma Urbe sic instituere, ut in Ecclesiis Patriarchalibus et insignibus Collegiatis, nec non S. R. E. Cardinalium titulis et diaconis et Regularium atque etiam Confraternitatum Ecclesiis, quae seorsim descriptae erunt, certis praefinitis diebus, pia et salutaris Quadraginta horarum Oratio celebretur, ea servata Ecclesiarum et temporis distributione, ut die noctuque, quavis hora, toto vertente anno, sine intermissione orationis incensum in conspectu Domini dirigatur.

designatas Ecclesias, incipiendo a Palatii Apostolici Sacello, quodam ser-

§. 2. Quamobrem vos omnes, quos uti peculiare filios praecipuos complectimur affectu, vehementer in Domino hortamur, ut in hoc saluberrimo et pernecessario orandi studio, vos ipsos piè et diligenter exerceatis. Pauperes omnes sumus et Dei gratia indigemus, bonorum omnium auctor et largitor est Deus, nihil boni adipisci, nihil mali evitare sine eo possumus, petite ergo et accipietis, pulsate et aperietur vobis. Orate pro Ecclesia Sancta Catholica, ut dissipatis erroribus unius fidei veritas toto orbe terrarum propagetur. Orate ut peccatores redeant ad cor, et ne scelerum fluctibus absorbentur, sed per Poenitentiae tabulam salventur. Orate pro Regum et Christianorum pace et unitate. Orate pro afflicto Regno Galliae, ut qui dominatur cunctis regnis, et cuius voluntati nihil resistit, Regno Christianissimo et optime de Christiana religione merito, veterem pietatem et pristinam tranquillitatem restituat. Orate, ut fidei hostes, terribili Turcae, qui furore et audacia incensi, Christianis omnibus servitutem et vastitatem minitari non cessant, ipsius Dei Omnipotentis dextera conterantur. Orate denique pro nobis ipsis, ut Deus infirmitatem nostram sublevet, ne tanto oneri succumbamus, sed det nobis in populo suo verbo et exemplo proficere, et opus ministerii nostri adimplere, ut una cum grege nobis, licet immeritis, credito, ad vitam sempiternam perveniamus, per aspersionem sanguinis Agni immaculati, quem in Altari offerimus et Deo Patri representamus, ut respiciat in faciem Christi sui, et parcat nobis peccatoribus, intercedente etiam advocata nostra sanctissima Virgine Dei genitrice Maria, Sanctisque omnibus cum Christo Domino regnantibus.

§. 3. Hanc autem piam orationem nos ipsi primum in nostro Apostolico Palatio prima Dominica sacri Adventus post missarum solemniam inchoabimus cum Venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus et qui in Urbe adsunt Episcopis et Praelatis, ut deinceps suo ordine in caeteris Urbis Ecclesiis ad praescriptam formam celebretur, et salutaris consuetudo sine intermissione orandi rite ac devote inducatur.

§. 4. Caeterum, ut eo propensius in

vato ordine a Dominica prima Adventus usque ad integram ultimam hebdomadam post Pentecosten distributas. Sed non aequè certum est perpetuae Orationi expositionem quoque SSmi. Sacramenti ex lege dicta a Pontifice ab initio conjungi coepisse. Constitutio de sola loquitur *Oratione*, de Expositione non item: nisi quis subobscurè eam indicatam velit postremis illis verbis: *Orationis incensum in conspectu Domini dirigatur*; quae tamen verba non secus intelligenda sunt, quam de publicis precibus, quae semper vel exposito vel latente Sacramento, dum fiunt, coram Domino fiunt. Quamobrem ex Clementina Constitutione consequitur *Orationem perpetuam dumtaxat* in praecepto fuisse, *Expositionem vero Sacramenti* in facultate et arbitrio. Fortasse tamen non ita multo post, si non fuit ab initio, obtinuit consuetudo exponendi Augustissimam Eucharistiam in singulis Ecclesiis**) per integras quadraginta horas praescriptae Orationis, veluti fiebat iampridem nedum Mediolani, verum etiam Romae in Ecclesiis So-

hoc pio instituto perseveretis, de Omnipotentis Dei misericordia et beatorum Apostolorum Petri et Pauli auctoritate confisi omnibus et singulis utriusque sexus Christianis vere poenitentibus, et confessis ac sanctissimo Eucharistiae Sacramento refecti, qui in quacumque Ecclesia, ubi oratio ejusmodi indicta fuerit, devote orando unam saltem horam perseveraverint, plenariam peccatorum suorum indulgentiam concedimus et elargimur, iis vero, qui inibi pias ad Deum preces brevioris temporis spatio effuderint, septem annos et totidem quadragenas de injunctis sibi aut alias debitis poenitentibus misericorditer in Domino relaxamus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum die vigesima quinta Novembris 1592

**) *De initio et distributione Orationis 40 hh. in civitate Ulyabonensi*, vd.: Constitutio Clem. XI. die 11. Julii 1717 (Bull. r. t. VIII. p. 185.)

dalitatum *Peregrinorum et Mortis*. Haec autem consuetudo universalis, diuturna, non intercepta eam habet vim, quae scriptis legibus inest, neque ab ea recedere amplius licet. Id colligimus ex Clementinae Instructionis, de qua nos agimus, exordio, ubi designatur tempus non Institutionis, sed „Dell' introduzione dell' Esposizione del SSmo. Sacramento per l' Orazione continua delle quarant' ore“; quae sane verba ita intelligenda videntur, ut Oratio perennis primum fuerit indicta, postea vero sensim accesserit maxime commendabilis usus exponendi simul Sanctissimum Sacramentum, quod forte initio fiebat aperto tabernaculo cum Pyxide velata.

6. Verum non contemnenda argumenta occurrunt, quae plane evincunt, Expositionem SSmi. Sacramenti, etsi non praescriptam a *Clemente VIII.*, hujus tamen aetate ac proinde institutioni Orationis perpetuae esse coevam. Si eidem normam praebuit cum Mediolanensis Ecclesiae tum Sodalitatum *SSmae. Trinitatis et Mortis* mos iamdiu invectus, plane consequitur, solemnem Sacrae Eucharistiae expositionem ab exordio conjungi coepisse Orationi perenni quadraginta horarum. Praeterea nedum conjecturae et praesumptiones, sed documenta prostant, quae rem faciunt. *Caeremoniale Episcoporum* appello, quod publici juris factum est sub eodem *Clemente VIII.* anno 1600 octennio post antedictam Constitutionem: *Graves et diuturnae*. Nam *part. 1. cap. 12. num. 8.* regula servanda traditur: „Si aliquando contingeret coram Episcopo vel per ipsum Episcopum celebrari existente SSmo. Sacramento super Altari . . . vel cum exponitur Oratio quadraginta horarum“. Anno igitur 1600 Orationi conjungebatur Sacramenti expositio. Neque existimes ex *Caeremonialis Rubrica* haud

probari Romanum morem, eo quia idem Liber, cum sit ordinatus pro Ecclesiis universi Orbis, hac in parte non jubet, quid faciendum sit, sed praescribit modum tenendum, si alicubi fiat. Etenim cum necessarium visum sit eam Regulam *Caeremoniali* inserere eamque extendere ad Orationem quadraginta horarum, non immerito arguimus, expositionem hujusmodi fere ubique iam fieri coepisse. Adstipulatur Decretum Sac. Rit. Congregationis in *Ilerden. 28. Aprilis 1607.*, quod jubet „Ne Concionatores caput tegant ante Sacramentum expositum infra Octavam Corporis Christi et quando per annum Oratio continua quadraginta horarum indicitur“. Neque censendum in Ecclesiis Urbis non id fieri coeptum, quod per plures Dioeceses jam fuerat propagatum: imo potius putandum est Romanum morem illis exemplo fuisse. *Benedict. XIV.* in laudat. *Instit. Ecclesiastic. 30.*, quamvis fateatur a *Clem. VIII.* expositionem SSmi. Sacramenti non fuisse lege praescriptam, ejus tamen Constitutioni coevam merito existimat: „Licet de exponenda publice Eucharistia nullum Pontifex verbum faciat, conijci tamen facile potest, tunc primum morem inductum fuisse, vel paulo ante (*non dicit paulo post, sed paulo ante*) ut Sacra Eucharistia exponeretur, cum quadraginta horarum Oratio indiciebatur“.

7. Praeterire modo juvat alia Sac. Rit. Congregationis Decreta suis apte locis infra referenda, quae licet posteriora sint, morem tamen hunc longe ante inductum fuisse supponunt. At nequeo praeterire *Bartholomaeum Gavantium*, qui suas ad Rubricas Missalis Romani lucubrationes, primum praelo datas Mediolani Anno 1627 ad *tit. 14. part. 2.* de hoc more loquitur tamquam universaliter recepto, inquit: „Inprimis igitur illud est no-

tandum, quod pro exponendo SSmo. Sacramento in Altari pro initio quadraginta horarum vel spiritualium exercitationum cantari debet Missa Votiva de SSmo. Sacramento etc.“ Nemini dubium, quod cl. Auctor agat non de usu Ecclesiae Mediolanensis, sed de Romano; quippe Mediolani expositio et repositio Sacramenti fiebat sine Missa. Porro *Gavantus* ab eod. *Clemente VIII.* Sac. Rit. Congregationi, ut alter e Consulatoribus adscriptus, postea ab *Urbano VIII.* in Romani Breviarii correctione fuit laudabiliter adhibitus, nomen idcirco sibi auctoritatem conciliat. Si meum, qualiscumque sit, sensum promere licet, puto Orationi coëvam fuisse expositionem Sacramenti, hanc vero a *Clemente VIII.* non praeceptam, forte quia praecipendum non id necessarium duxit, quod jam erat in more positum apud illas Ecclesias, in quibus vel ex Instituto vel ex devotione perennis quadraginta horarum statis temporibus peragebatur. Atque ita existimasse doctissimum Pontificem *Benedictum XIV.* supra relata verba plane suadent.

8. Quamquam vel ipsi institutioni coëva sit, vel etiam ante aut non ita multo post inducta fuerit simultanea SSmi. Sacramenti expositio; certum est tamen, eundem morem antiquissimum esse, qui, etsi ab initio in arbitrio fuerit, vim postea legis oblinuit nec amplius licet Orationem quadraginta horarum indicare sine simultanea SSmi. Sacramenti expositione. Quoniam vero, ut saepenumero accidit, etiam in religiosis et ad Divinum Cultum pertinentibus institutis nonnulli abusus intronitti in aliquibus Ecclesiis coeperant; ad hos penitus eliminandos non defuit Praesidium vigilantia, qua simul privatorum licentia cohibita et sacrae actionis decori fuit consultum, quemadmodum constat ex edictis diversis temporibus, prout cir-

cumstantiae exigebant, editis a Cardinalibus Urbis Vicariis, quae in Tabulario Secretariae Vicariatus asservantur. Verum *Clemens XI.* quae sparsim statuta fuerant simul colligi jussit certasque regulas omnino servandas praescipuit, ut omnes scirent quid in Oratione, Processione, Expositione, Repositione cum ab Ecclesiasticis tum a Laicis agendum esset, quid vitandum, adjecta comminatione poenarum adversus illos, qui secus facerent. Hinc prodiit publicique juris facta fuit Instructio illa, de qua nos agere proposuimus.

9. Itaque a *Clemente XI.* primo ejus Auctore hujusmodi Instructio *Clementina* dicitur, et in vulgum prodiit die 21. *Januarii* 1705. *), dein vero ab ejusdem Successoribus *Innocentio XIII.*, *Benedicto XIII.* et *Clemente XII.* fuit confirmata ac post integri saeculi fugam in viridi est observantia. Eadem certam quamdam praescribit methodum dilucidis regulis dispartitam, ad quam tuendam servandamque omnes indistinctim tenentur Urbis Ecclesiae, quin liceat ab ea declinare, nisi tales concurrant circumstantiae, propter quas, qui praesunt, legem aliqua in parte emoliri opportunum existiment. Quaedam ea continet, quae cum sint generalia et ad essentialiam pertineant Cultus Sacrae Eucharistiae debiti, nedum Romae in sola Oratione quadraginta horarum, sed etiam alibi et in aliis omnibus Expositionibus, quae per annum fiunt, servanda omnino sunt. Quod quidem procedit non ex praescripto Instructionis, quae unam respicit Orationem quadraginta horarum pro Ecclesiis Urbis, verum ex Ecclesiae instituto ac disciplina et ex Sacrar. Congregationum decisionibus.

*) Hanc instructionem Clem. XI. de die 20. (21) Jan. 1705 vd. etiam in *Bull. r. t. VIII. p. 248. Ed. Luxembg.*

Caetera vim legis habent quoad Urbem, sed ad alias Ecclesias non extenduntur, licet laudabile multum sit, ut ubique serventur, quemadmodum respondit Sac. Rit. Congregatio in *Patavina die 12. Junii* 1749 (habetur hac in nostra Collectione num. 4054.). Et revera cum instructio data sit peculiariter pro Ecclesiis Urbis, hoc satis est, ne quoad alias obligationem inducat. Verbo dicam, eandem quoad Urbem vim praeceptivam habere, quoad alias Ecclesias dumtaxat directivam. Quae sane distinctio obtinet etiam in Urbis Ecclesiis relate ad Expositiones alias, quae per annum frequenter fieri solent, nisi tamen aliqua ex Instructionis Regulis etiam ad has expresse extendatur.

10. Volunt nihilominus *Cavalerius Oper. tom. 4. cap. 8. ad §. 24. Instructionis, et Tetamus in Appendic. ad §. 5 ejusdem*, volunt, inquam, Instructionem vim legis ubique habere. Cum enim ambo notassent aliqua in eadem contineri, quae a Caeremoniali Episcoporum, et Rituali Romano discordare ipsis visa sunt „Haec autem, ajunt, novissime Romae petita sunt declarari“ et responsum prodiisse affirmant die 26. *Martii* 1746 hisce conceptum verbis: „Servandam esse Instructionem, quia consonat praxi Cappellae Pontificiae et Urbis Romae quae totius Orbis Magistra est. Prosequitur *Cavalerius loc. cit.*: „Petitio autem processit de expositione quolibet etiam extra Romam. Unde quae methodus ab ea (scilicet Instructione) praescribitur, ubique gentium patet esse servandam, etsi contrarium habeat Caeremoniale Episcoporum vel Rituale Romanum.“ Non quaeram modo, num revera aliquid intercedat discrimen Instructionem inter, et Caeremoniale ac Rituale; alibi opportunior erit de hoc disserendi locus. Id, quod nunc interest, ad ipsum quod lauda-

tur Decretum refertur. Me redarguat nemo si de ejusdem authenticitate dubitavero. Scito enim illud in Sac. Rit. Congregationis Regestis minime reperiri, et penitus ignoramus, num revera a qua Congregatione et cujus auctoritate datum sit. Uterque Auctor silet et nimis generica utitur expressione: „Novissime Romae petita sunt declarari: — Declaratum fuit Romae“. Quamobrem jure existimo non aliud illud esse, nisi privatum responsum alicujus rerum liturgicarum Periti rogati, ut suo judicio enodaret quaesitum sibi ad decidendum traditum.

11. Dato autem, quod non privati hominis judicium sed Sac. Rit. Congregationis declarationem praebet laudatum responsum: quid tamen inde? Habebit solummodo vim directivam non praeceptivam: siquidem posterius Sac. Congregationis Decretum quaestionem solvit. Interrogata: „An Instructio pro Oratione quadraginta horarum Romae jussu *Clementis XI.* edita etiam extra Urbem servari possit ac debeat?“ sub die 12. *Julii* 1749 respondit: „Praedictam Instructionem extra Urbem non obligare, laudandos tamen, qui se illi conformare student, nisi aliud ab Ordinariis locorum statuatur“. Igitur juxta novissimum hoc Decretum fas erit servare tam modum ab Instructione traditum quam alterum a Caeremoniali praescriptum, licet primus ad sensum ejusdem Decreti magis congruere videatur; praesertim quia, si qua est apparens repugnantia inter Instructionem et Caeremoniale, ac Rituale, essentialia ne minimum quidem laedit, sed circa modum solummodo versatur, ut infra loco magis opportuno videbimus.

12. Laudabile igitur, si Instructioni omnes se conforment Ecclesiae, licet coactive non teneantur. Idcirco sapienter subdit Decretum ac limitationem ponit: „Nisi aliud ab Ordina-

riis locorum statuatur“. Hinc si Episcopi quoad aliquam ex praescriptis Regulis ab Instrukione recedere satius ducant vel aliquid moderandum censeant, ut locorum et Ecclesiarum qualitati provideant, laudabilibus et rationabilibus consuetudinibus, quae nec per Caeremoniale Episcoporum abrogantur, se conforment, variisque consulant circumstantiis, quae non ubique eadem sunt, hoc erit servandum. Id tamen dumtaxat intelligendum de iis, quae, salva ritus substantia, vel circa modum versantur vel quamdam congruentiam important nullamque praeferunt difformitatem, si diversimode fiant, aut etiam omittantur. Secus vero de iis est, quae cultus substantiam spectant, et Sacrae Actioni sunt essentialia, quae propterea ubique locorum servanda sunt, non in vim Instruktionis, quae ad universum Orbem non extenditur, sed ex Ecclesiae praescripto, Rubricis ac Sacrarum Congregationum generalibus Decretis, quae ubique vim legis habent.

13. Quoniam vero, ut patet ex huc usque dictis, *Clementina Instructio, vim praescriptivam habet in Urbe*) directivam dumtaxat quoad alias Ecclesias per universum Catholicum Orbem, et ut ubique servetur, multum laudabile est: operae pretium ducimus exemplum sequi Cavalerii et Tetami, qui eandem doctis quibusdam adnotationibus illustrarunt. Opportune distinguenda erunt, quae ubique servanda sunt, ea secernendo ab aliis, quae pro locorum, temporum ac peculiarium circumstantiarum ratione possunt vel praeteriri omnino, vel saltem mo-*

*) Vd.: *Instr. Clem.* §. XXIII.; §. XXXVII. 1. Instruktionem Clement. extra urbem non obligare, laudandos tamen, qui se illi conformare student, nisi aliud ab Ordinariis locorum statutum sit. n. 4203 die 12. Julii 1749.

derari. Varii etiam pro regularum applicatione distinguendi sunt casus, etsi de Ecclesiis Urbis agatur. Publicae namque expositiones, praeter illas Orationis quadraginta horarum, solemnes pariter sunt, vel quia ob gravem causam publicumque Ecclesiae bonum fiunt, vel quia ex Instituto vel alia urgenti ratione, aliqua cum celebritate populique frequentia peraguntur, vel quia, licet non sint praescriptae pro Oratione quadraginta horarum, formam tamen pro eadem praescriptam tenent. Sunt etiam et aliae vel longe minus solemnes vel privatae, quemadmodum suis apte locis videbimus. Hinc modi regularumque diversitas. Nam quae publicam expositionem respiciunt, nequeunt in omnibus aequae aptari privatis: rursus, quae in solemnissimis tenendae sunt, non item necesse est, ut obtineant in minus solemnibus, quae ad breve tempus ex venia, non ex praescripto fiunt, vel statis diebus vel occasione novemdialium, quae praemitti solent Festivitatibus B. M. V. et Sanctorum, vel aliis de causis. Ut autem opus hoc nostrum utile sit, non sistam dumtaxat in iis, quae ad Orationem quadraginta horarum proprie pertinent, sed et alia insuper persequar, quae diversimode obligant in aliis quibuslibet expositionibus vel publicis vel privatis vel magis minusque solemnibus.

14. Mirabitur forte quis, quod in me hoc negotium susceperim, postquam spartam hanc Cavalerius atque Tetamus ita illustrarunt doctis adnotationibus, ut nihil iisdem addi posse videatur. Curnam id fecerim percontabitur. Verum percontandi locum is non esse fatebitur desinetque admirari, si rationes, quibus motus fui, ut eorum opus recuderem, attente consideret. Cum enim Decretorum Sac. Rit. Congregat. collectioni Instruktionem Clementinam adjicere Appendicis

loco statuissem, opportunum visum est mihi sub qualibet sanctione notare Decreta, si quae sunt relativa ad eandem. Mens praeterea erat, ut quilibet uno veluti obtutu singula agnosceret, quae ad unam alteramve regulam pertinent; quod fecisse praefatos Auctores non diffiteor, sed accidit saepenumero, ut ad alia eorundem operum loca Lectorem amandent, quod perincommodum multum est. Forte etiam aliquam praetereunt quaestionem vel saltem vix attingunt, sed non satis illustrant: quamobrem supplendus erat defectus. His accedit, quod non in omnibus ego eorum sententiis assentior, sed quandoque, ut ab iis dissentirem, non omnino contemnendae rationes me impulerunt, utrum bene, aliorum erit iudicium. Ac tandem recentiora addenda erant Decreta, quae nondum prodierant, dum Cavalerius suum opus absolvit, a quo Tetamus, quid-

quid in hanc rem scripsit, est mutatus. Hoc fuit Instituti mei consilium, haec ratio. Utile opus pergratumque futurum arbitror, saltem quia in unum collecta sunt omnia, quae circa Sacrae Eucharistiae expositionem, quocumque modo ea fiat, versantur. Aliqua etiam incidenter habentur, quae inservire poterunt pro norma Processionum, in quibus SSmm. Sacramentum vel pro Oratione quadraginta horarum vel in solemnitate et Octava SSmi. Corporis Christi vel alia quacumque ex causa magna cum pompa circumfertur. Ne censeas me cuncta persequi velle, quae ad hasce Processiones pertinent, nimis ab Instituto diverterem, si id vellem; de iis tantummodo ero sollicitus, cum se obtulerit occasio, quae Ecclesiasticae leges, ut earundem decori consulant, vel facienda vel vitanda esse jubent.

ISTRUZIONE, ET ORDINI

Da osservarsi nell' Orazione continua di quarant' ore coll' esposizione del Santissimo Sacramento per li bisogni di S. Chiesa, secondo la pia mente de' Sommi Pontefici confermata, e pubblicata di nuovo per ordine di nostro Signore Papa CLEMENTE XII.

„Prospero del Titolo di S. Silvestro in Capite della S. R. C. Cardinal. della Santità di Nostro Signore Vicario Generale“.

§. I.

»Essendo state fatte sin dal tempo
»dell' Introduzione dell' Esposizione
»dell' SSmo. Sacramento per l' Orazione
»continua di quarant' ore diverse
»provisioni spettanti al decoro di detta
»funzione, acciò le medesime vengano
»esattamente osservate, e si rimuova
»ogni abuso introdotto in alcune Chiese;
»d' ordine espresso della Santità di

»Nostro Signore datoci coll' oracolo
»della sua viva voce, ordiniamo, e
»comandiamo, che in tutte le Chiese
»di questa Città tanto Patriarcali,
»quanto Collegiate, e Parochiali, ed in
»ogn' altra Chiesa si de' Secolari, che
»de' Regolari in qualsivoglia modo
»privilegiata, e degna di special men-
»zione, in cui si farà la sudetta Orazione
»di quarant' ore, s' osservi in-